

IV) HASTA SOLARIS

Poesis

sicut hasta solaris

Et sanguis fluit
 at maestitia mortis
 in ignotum ruit

V) RARUM

Mane

cum ave
 venis in somnia mea

Casta venis
 et abis
 musicae similis
 o tu ignota
 Pulchritudo

tam es gracilis!

VI) HELICONIS IN UMBRA

Sub pino recubans
 audio musicen aestatis

Pastor sine grege
 viator fessus
 sine syringe

Quid dicit illa cupressus
 in fine camporum viciniae
 prope ecclesiam parvam

In longinquitate undae maris
 susurrant carmen infinitum
 laudantes vitam
 et passus meos fractos
 pulchritudine aeternitatis tactos.

VII) RECORDATIO

In manibus tantum duo flores
 humiles flores camporum

In labris tremula verba

Sola manebit recordatio
 et haec in imbre tristis herba...